29

I. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

De

ÆGRA, FEBRE HECTICA LABORANTE,

Quam

INDULTU ET SUFFRAGIO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

IN ILLVSTRI ACADEMIA JENENSI

PRÆSIDE

DN. AUGUSTINO HENRICO FASCHIO, Med. Doct. Anatom. Chirurg. ac Botan. Profeſſ. Publ. Ordinar. meritiſſimo, nec non Archiatri Ducali Saxonico celeberrimo,

DOMINO PATRONO, FAUTORE AC PRÆCEPTORE PLURIMUM COLENDO, VENERANDO,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, PRIVILEGIA ET INSIGNIA SOLENNITER OBTINENDI,

Publico Examini ſubjiciet

ELIAS FRANZIUS, EISENBERGA-OSTERLANDUS,

IN AUDITORIO MAJORI ad d. XX. April.

horis ante- & pomeridianis A. O. R. M. DC. LXXIIX.

LITERIS NISIANIS.

AUSPICE CHRISTO!

PROOEMIUM.

Ndiq; terrarum vernô hôc tempore juxta Poëtæ verba, calor oſſibus redit, ſanitatiq; ſeu architectum, ſeu miniſtrum ſe præbere debeat, malignis febrium inſultibus idem ſaluti mortalium ingruit.

Varro quidem, L. Lat. ſcientia celeberrimus *ver* qſ. *viver* dictũ putat, quod omnia tunc vel coitu animantium naſcantur, vel calore novo anni ſtimulata, ἐνεργείας animæ, quod vivere eſt, exerere de novo incipiant. Verum ἔτυμον Varronianum præſens hoc tempus invertit potiùs, quam adſtruit. Siquidem morbifero autumno aliàs factum eſt, id

nunc

nunc & vere ipsô fieri videmus. Unde cum Horatio ingeniſcere debemus.

- - Macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

Plures etenim Libitinæ faucibus Febris immolavit, plures inviſi ſtramentis lecti adeò affixit, ut ſi priſtina Romanorum Reſpublica etiamnum ſtaret, alterum Febri, Deæ fanum dedicaret in palatio, trepido metu placatam eam eſſe cupiens.

Dedicaverit ea gens, quæ orbonæ, quin Malæ Fortunæ cultui ædes exſtruxit. Morborum nobis, ſeu artificibus, ſeu hoſtibus, noſtris moribus illud nefas. Vegetabilium, mineralium ac metallorum regna & quæcunque febri fugandæ, ſternendæ radicitùs extirpandæ faciunt, inquiruntor, excutiuntor, adplicantor.

Libet verò in præſentiarum, juſſu

gratioſisſimæ Facultatis Medicæ ſpecimen Inaugurale producere , caſum quendam de Febre Hecticâ eamque in forma conſultationis pertractare; adfectum, quô nullum ferè majus incommodum, nullum dirius monſtrum caput efferat. Perpetuò enim urens urget calor, nec quietis intervallum admittit, dentibus ac ciborum præparandorum inſtrumentis ab hôc Tyrannô adeò ſæviente indicitur pauſa, ut nullum frequentius votum audiatur, quàm mortis invocatæ.

Ut ſummus ARCHIATER hiſce cœptis ſimulque futuris ex alto clementer benedicere, & proſpero ſemper ſucceſſu, exoptatoque coronare velit eventu, animitùs precamur, & ardenter vovemus!

HISTORIA.

Virgo XV. annorum, habitûs corporis gracilioris & rarioris texturæ, cùm verno tempore aëre paulò inclementiori longum feciſſet iter, curru citatiori vecta nec prius talibus motibus adſveta, delectata vini generoſioris potu, cibisque aromatibus & ſale conditis, menſes pro ætatis ratione jam videns corripitur tertianâ, quâ per unum & alterum menſem redeuntibus ordinariè primum & alternis diebus, hinc ſingulis paroxyſmis ſatis fortibus, adſumit purgans medicamentum, quò plus quàm trigeſies ſolicitata fuit alvus, viribus concidentibus ut revertente nihilominùs per unam alteramque ſeptimanam febre colligere has naturæ vires non conceſſum fuerit, tandem continuum calorem ſentit, corpus areſcit, facies pallet, præterquàm poſt paſtum, ubi levi rubore tinguntur malæ, & volæ manuum intimiùs quoque tunc calent, pulſus frequens ac debilior, ſudores in cute viſuntur, præſertim noctu, urina ſaturatior flavet cum copioſo ſedimento, adpetitus debilis, ſitis major. Petitur conſilium &c.

RESO-

RESOLUTIO.

ADfectus, quô ægra noſtra laborat, dicitur FEBRIS HECTICA, ἀπὸ τῆς ἕξεως, *ab habitu*, ſeu quod calor præternaturalis in habitum corporis ſeſe inſinuet ac immanenter cum æqualitate duret, niſi duabus aut tribus ferè horis poſt cibum, ubi inæqualitas ſentitur; Et quia radices egit altas in partibus machinæ humanæ ſolidis, opponitur hôc modô τῇ σχετικῇ, quæ facilè ſolubilis eſt ac tranſiens.

Dividitur hectica ab aliis, tùm à *River. Libr. XVII. d. febr. c. 3. de hectic.* in *primariam*, quæ à principio invadit, & *ſecundariam*, quæ aliis ſuccedit febribus, eſtque vel ſimplex & ſolitaria, vel febri putridæ complicata; Aſt, quia hectica rariſſimè juxta *Liddel. c. X. de hectic. p. 202.* per ſe incipit & vix unquam à cauſis oritur procatharcticis, quin præcedere videatur diaria vel febris alia, ob promtiorem ſpirituum, quàm humorum accenſionem, vix locum habere poteſt illa ſenſu dictô diſtinctio.

Nobis ſatis eſt, primariam dici poſſe, quæ non fovetur ab aliô quôdam morbô, quò ſenſu in noſtrâ ægrâ dici poteſt primaria, velut priori illo, ſi recipiatur, ſecundariam adpellare licet.

Dicitur Græcis ἑκτικὸς πυρετὸς, non quòd in habitu corporis ſeu partibus ejusdem ſolidis inhæreat, inhærent enim & aliæ omnes, ſed à modô inhærendi; tantas enim radices in ſubjecto ſuo agit, ut in habitum abeat & inſtar ἕξεως difficili extingvatur negotio.

Latinis audit *febris hectica, habitualis, torrida, tabida, & ſi ad ſummum pervenerit, μαρασμός.* Germanis die Darre/das ſchwindſichtige Fieber/heimlich verzehren/

zehrendes Fieber/ quæ lentè conſumit partium, totiusque corporis humidum radicale.

Adeſſe verò hecticam in noſtrâ ægrâ confirmant ESSENTIALITER INHÆRENTIA ſeu pathognomonica ſigna, quæ ſunt continuus ac æqualis corporis calor cum ſubſequente ſiccitate.

Non minus id confirmant ESSENTIALITER CONSEQVENTIA ſeu ſymptomata omnis generis, qualia ſunt *in actionibus naturalibus* adpetitus debilis & ſitis major; *in vitalibus* pulſus frequens ac debilis cum virium proſtratione; *in excretis* poſt adſumtum forſan nimis fortius purgans alvus laxior ac urina ſaturatior flavens cum ſedimento copioſo; in *qualitatibus mutatis* ſudores in cute, præſertim noctu, facies pallida cum ſubſequente rubore, duabus præſertim horis poſt cibum.

CAUSÆ PRÆGRESSÆ quoq; fidem faciunt, non tam iter verno tempore & quidem aëre paulò inclementiori ſuſceptum, cibi aromatibus & ſale conditi, potusque vini generoſioris aliaque, quàm prægreſſa tertiana, hypercatharſis enormis, & ſimilia, paulò poſt latius recenſenda.

Ipſaque SIMILITUDO idipſum adfirmare videtur: Viſi enim tali febre decumbere, à nemine pro hecticis non haberi ſolent.

SUBJECTUM ADÆQVATUM ſunt partes corporis ſolidæ, in quibus calor præternaturalis in corde primariò accenſus, per arterias legibus circulationis partibus communicatus ſolidis, inque iis infixus quaſi hæret ac impactus, ut juxta *River. loc. cit.* à ſubjecto removeri difficile, nedum ſit impoſſibile.

SUBJECTUM PRINCIPALE dicitur COR cum omnibus partibus ſive ſolidis, quæ ſunt propriè & per ſe

ſub-

ſubjectum hecticæ; ſive humidis, ſangvine ſcilicet ejusque partibus tenuioribus, ſpiritibus, propter mutuum earum contactum, quatenùs nimirum calidum innatum in eô contentum intemperie ſuâ adficere poſſunt ac imbuere, ideoque & illæ aliquo modo & impropriè dicuntur hecticæ ſubjectum.

CAUSA IMMEDIATA eſt intemperies calida & ſicca, æqualiter ſine intermiſſione continua, in partibus cordis ſolidis primariò accenſa & mediantibus ſpiritibus & ſangvine cunctis machinæ communicata partibus.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR juxta *Paracelſ.* eſt *Sulphuris accenſio* ſolidasque cordis & totius corporis partes nimis calefaciens eamque fovens materia nitro ſulphurea.

Helmontius cauſam refert in archei accenſionem ac deturpationem ferè totalem.

Williſius uti febres omnes ad vitioſam fermentationem ac effervеſcentiam revocat, ita & hecticam ſine dubio ad ipſam referet; nullam quidem hujus in ſpecie facit mentionem.

Malpighius fermentationem accuſat nimiam, ubi plus juſto acrior ſangvis partes, in quas influit per arterias delatus ſolvit ac fundit, ut innumeræ exinde particulæ per cutim inſenſibiliter foràs avolent.

Nos ſtatuimus, hecticam fieri à ſangvine in craſi & motu ſuo ſeſe non rectè habente, quatenùs nimirum particulæ ſeroſæ incoqvuntur ac invertuntur, fiuntque nimis volatiles; Sulphureæ verò acriores citatioresque, & præpoſterè rarefactæ, unde hiantibus poris particulæ roridæ alimentales ab ipſis reſolvuntur magis ac diſflantur.

Inter CAUSAS REMOTIORES NATURALES

offendimus *temperamentum*; Meminit enim hiſtoria, ægram eſſe habitûs corporis gracilioris & rarioris texturæ, quod ſatis aptum talismodi intemperiem producere, quod calculo ſuo *Galen. libr. de febr. differ. c. 9.* comprobat, conſtitutionem, *inquiens*, calidam & ſiccam magis ad hecticam eſſe proclivem.

Nec abludit *ætas*, præſertim juvenilis; Licet in omnem aliàs hectica cadat ætatem, nihilominus tamen ætas juvenilis ac virilis ejus periculo magis eſt expoſita; quòd ſangvis harum fervidior ſit & ad ſpiſſeſcendum aptior.

IN CAUSIS NON NATURALIBUS occurrit *aër*, quatenus corpus noſtrum inſtar veſtis circumambit, & bonam quoque partem inſpirando ingreditur: Refert enim hiſtoria, ægram noſtram verno tempore aëre paulò inclementiori iter ſuſcepiſſe. Quantum verò talismodi aër vitioſis miaſmatibus nimiùm refertus corpus ægræ noſtræ alterare potuerit, in propatulo eſt, cùm effluvia iſta præ aliis calida & ſqualida corpus ad febrim, & conſequenter hecticam præparare poſſe, plurimæ teſtantur Practicorum obſervationes.

Motum huic intemperiei plurimum addidiſſe, facile colligere licet, cùm ægra noſtra curru vecta citatiori, itinere longiori, nec prius talibus adſveta motibus fuerit; Hinc concutiendo nimis corpus & conquaſſando humoribus ac ſpiritibus agitatio major conciliata fuit.

Cibi aromatibus & ſale conditi, quibus ægra nimium delectata, ἐπιβάλλον μέρος huic febri addere potuerunt, quatenus nimirum ſangvinem reddunt acriorem citatioremque ac ita fermentationem in corpore cauſantur præternaturalem.

Potus

Potus etiam venit in cenſuram, qui fuit vinum generoſius, quod aptum ſatis natum talismodi generare intemperiem calidam. Et teſtantur ſanè plurimæ Practicorum obſervationes, eos, qui multô generoſô vinô, Spiritu item vini, nimium ſunt uſi, ad hecticam redditos fuiſſe diſpoſitos.

AD CAUSAS PRÆTERNATURALES refertur febris tertiana, quâ per unum atque alterum menſem, redeuntibus ordinariè primùm & alternis diebus paroxyſmis, ægra noſtra laboraſſe dicitur. Et quòd non novum ſit ex tertianâ fieri hecticam, inter alios *River.cent.II.obſ.2.* teſtatur. Vidit etiam *Excell. Dn. D. Wedel.* in rarioribus & delicatioribus tertianâ laborantibus à ſudore coacto factam hecticam.

Imprimis verò, adſumtô ad expellendam cacochymiam purgante forſan nimis fortiori, alvi ſecutum profluvium abſumſit humores ſeroſos, roſcidos, nutricatui debitos, unô verbô, utiles: unde & vires labefactatæ, & viſcerum tonus dejectus, quid? quòd intemperies præternaturalis ſi non inducta, ſanè adaucta ſic fuit. Hinc revertente nihilominus per unam alteramque ſeptimanam febre, recolligere naturæ vires non conceſſum fuit; Atque adeò pleno modio, tanquàm ex equo Trojano varia proſiliêre ſymptomata, quorum ratio jam reddenda venit.

Sentit continuum corporis calorem; ob ſangvinem acriorem citatioremque intimiùs inſinuatum in partes corporis ſolidas, fermentationem ibi præternaturalem cum calido partium innato inientem.

Corpus areſcit ob abſumtionem ſucci illius nervoſi fermentativi, nutritionis formam reſpicientis, qui actuare nequit laticem ſangvineum per arterias partibus

 com-

communicatum; non aliter, quàm oleum lampadi affuſum, quô, velut alimentali humidô, flamma in lychno nutritur. Seu ut *Beckius in experim. Phyſic. p. 215.* ſtatuit, dicens: illi, qui hecticâ febri laborant, non nutriuntur; ſed contabeſcunt, quòd ſingularum partium calidum innatum, nutritionis inſtrumentum, manifeſtâ quâdam aciditate ſeu acore ſit ſuppreſſum.

Facies pallet, à depauperato ſangvine per repetitas febriles reciprocationes, morbi protractionem & teneritatem corporis; qualis verò ſangvis, talis quoque color in facie pingitur.

Poſt paſtum verò, *levi rubore tinguntur malæ*, inducto ſangvini ex fermentatione ciborum adſumtorum in ventriculô, nec illa quidem ſine labe acrimoniæ billioſæ adſperſæ, novô motu; undè poſt concocti in tantum cibi in corpus diſtributionem, calidi iſti halitus ac vapores magis ſolitô elevantur ad caput, aliasque vicinas partes, ruborem caloremque ibidem cauſantes inæqualem ac intenſiorem, non aliter, quàm ab aquâ frigidâ fornaci calidæ impensè affusâ calorem videmus intendi. Quod etiam *Galen. l. 1. de differ. febr. cap. 9.* explicat per affuſionem aquæ ad calcem vivam & lapides ignitos alios in balneis.

Et volæ manûs intimiùs calent, quia cutis illius partis præ aliis tenera nimis eſt ac ſenſilis, niſi aliunde fortè callum contraxerit. Et juxta *Galen. locô ſuprà citatô*, caliditas, cumprimùm manus admovetur, debilis eſt, paulò pòſt verò acredinem atque eroſionem quandam oſtendit ac magis, cùm plus tangendo immorabitur.

Pulſus debilitas, à debili ſangvinis in arterias propulſione, *frequentia* verò à calore & uſu aucto violentoque, qui ſcilicet frequentiùs cor movet & ſangvinem fruſtrà propellere nititur.

Sudores in cute viſuntur, præſertim noctu, partim à colliquatione partium ſangvinis ſalino-ſulphurearum; partim ab alimento à calore præternaturali diſſipato, dum id, quod à talismodi heterogeneis ſangvinique immiſcibilibus particulis fuit reſolutum, mutatur in ſudorem, utplurimum colliquativum.

Urina ſaturatior flavet cum copioſo ſedimento, quod adſcribendum particulis ſalinis, acribus, ſulphur magis ac magis expandentibus; ſecedentibus ac præcipitatis terreis ac limoſis ad fundum.

Adpetitus debilis, à calore ventriculi debilitatô fermentoque acri ac aduſtô menſtrui vicem obeunte, dependet.

Sitis major, à particulis ſalinis acribus exſiccationem humorumque aduſtionem cauſantibus oboritur.

Nunc ad PROGNOSIN & quidem (1.) quæ SALUTEM & MORTEM indicat. Cum verò hecticæ gradus ſit triplex juxta omnes Medicos: *Primus*, in quo rorida partium humiditas leniter effervescit & abſumitur; diciturque *incipiens*, & curari facilè; cognoſci autem difficulter potis eſt. *Secundus* gradus, in quô majus incendium partes depaſcit, & juxta *Galenum* evidens adeſt corporis extenuatio, carnoſaque ac adipoſa perit ſubſtantia; Eſt quidem facilior cognitu, curatu verò paulò difficilior. *Tertius* dicitur febris conſummatæ ſtatus ſeu maraſmus, quando penitùs conſumuntur, quæ reſtabant carnium opes, & vix cutis oſſibus hæret, & facilè cognoſci; difficulter autem, imò plane non, & plerumque quidem, poteſt curari, & ſpes omnis in hectica conſummatâ decidit. Hinc veriſſimum, utpote longo uſu comprobatum eſt illud *Alexandri Tralliani Libr. 12.* ὁ ἑκτικὸς πυρετὸς

οὐ πάνυ δυσίατος· ἡ δὲ περιφρυγὴς ἀνίατος. *Hectica non adeò difficilem babet curationem, torrida autem & marcida nullam.*

Perluſtratis febris hecticæ gradibus, disquirendum eſt, quônam ægra noſtra laborat? Statim ſe prodit hîc ſecundus, quia in eâ calor paulò auctior cum corporis areſcentiâ deprehenditur. Etſi verò ſecundi gradus curatio non tàm promtè ſuccedat, cùm tamen magis vergat ad primum, quàm ad ultimum gradum, faciliorem ejus fore ablationem certô confidimus.

An verô (2.) deſideratâ brevitate tollere eundem liceat? cùm hectica ſit morbus chronicus, qui ſenſim & quaſi ſine ſenſu, velut teſtudo molli incedens pede, terminatur, dubitari poſſet. Nihilominus tamen, cùm ægra noſtra in ætate juvenili conſtituta, obque virium aliquale robur calorisque nativi abundantiam ſpes reconvaleſcentiæ ſuperſit, modò ipſa præceptis obſecundet medicis, ſpondemus ſaltim non tædiosâ morâ adeò moleſtam futuram.

Et quidem, qui (3.) modus eventus eſt; reſtituta in ordinem maſsâ ſangvineâ, redintegratô roridô nectare, inhibitâ reſolutione & diſſipatione per calorem præternaturalem utilium humorum.

Curatio juxta præceptæ methodi regulas primùm occupata eſt, ut morbum ſeu intemperiem calidam & ſiccam tollat, ipſamque tanquàm hoſtem corpori huic juvenili infenſum humectando & refrigerando expugnet.

Præſervatoria cauſas alias tùm proximas, tùm remotas amovere, Symptomatumque reſpicere mitigationem docet. *Galenus* verò *libr. 11. meth. med. cap. 2.* inquit: hecticam habere tantùm curationem, non præſervationem, quia

quia curatio ſoli morbo, præſervatio autem cauſæ morbificæ debetur. Si verò præſervatio non ita ſtrictè ſumatur; ſed pro remotione cauſæ cujuscunque hecticam antecedentis, facilè concedi poteſt.

Vitalis in virium totius corporis reſtitutione per convenientia præſertim & ſubſtantifica analeptica occupatur.

Sumitur verò harum indicationum adparatus ex triplici fonte.

Ex fonte Chirurgicô ſe ſiſtit V. S. quæ, ut ordinariè in hâc febri, ſibi relictâ, vix invenit locum, ita nec in noſtrô hôc caſu. Licet enim V. S. & quæ in ejus locum aliæ ſuccedunt ſangvinis evacuationes, ſecundariò quoque æſtum caloris præternaturalis poſſint contemperare: Attamen nec tantus calor adeſt, nec repletio ſangvinis, nec ſuppreſſio conſvetæ evacuationis, cujus ratione aliquandò hecticis parum ſangvinis deplere conſultum viſum fuit, ut ad generoſum hoc præſidium confugere opus ſit. Accedunt habitus corporis tenerior, vires debiles & exhauſtæ, aliaque contraindicantia.

II. Ex fonte *Pharmaceuticô* mutuamus *I. Lenientia*, & hiſce quidem ferè ſolis contentos eſſe nos oportet, iisque non tàm ſiccantibus aloëticis, niſi in minimâ doſi, quàm humectantibus ſimul. Purgantia *fortiora* tùm ob vires debiliores, tùm ob hypercatharſin præviam, tùm ob defectum ſeri blandioris, non conveniunt; præprimis *Antimoniata* & *Scammoniata*; quod etiam probat *Martin. Wendelin. L. III. axiom. med. 1166.* Et aridi, *inquiens*, propter atrophiam & alimenti privationem nullam prorſus evacuationem ferunt: idemque ferè *Fuchſ. in inſtit. med. lib. IV. ſect. 5. c. 38.* adfirmat, quando ait: Si gracile admodum ſit corpus,

pus, aut atrophiâ laboret, nutrimentô potius erit reficiendum, quàm evacuationibus exhauriendum. Et *Joubertus Lib. II. pract. cap. 1.* docet; In febre hecticâ à catharcticis abſtinendum, quia vires ea non ferunt, imò verendum, ne ab alvi ductione fluxus maximè formidandus, imò læthalis, contingat juxta *Hipp. aph. 14. ſect. 5.*

Convenient ergò hîc, ut diximus, *laxantia* & temperata, ἐκκοπρωτικὰ dicta, quæ blandè illa, quæ in primis viis adhuc hærent, educunt, atque obſtructiones ab ipſis ortas tollunt; Hanc in rem infuſa, potiones, & electuaria præ pillulis, & aliis *ſiccioribus* ex uſu erunt.

℞. *decoct. prunor.* ℥j.
Sirup. roſat. ſolutiv. ℥ß.
extract. rhab. ℈j. M. D. S.

Leiberöfnender Safft.

℞. *fol. ſen. ſſ.* ℥ß.
fl. 4. Cordial. an. p. ij.
ſem. 4. frig. maj. excort. an. ʒß.
fœnic. ℈j.
Paſſular. min. ℥j.
Cryſt. ♀*ri* ʒj. *contuſ. in mortar.*
Coque in ▽ *endiv.*
Cichor. ℥iv. *colatur. add.*
Sirup. d. Cichor. c. rhab. ℥j.
violar. ſolutiv. ℥ß. M. D. S.

Lindtträncklein auf 2. mahl.

℞. *Elect. lenitiv. d. man. l. diacaſſ. c. man.* ℥ß.
conſerv. violar. ʒij.
cum ſacch. q. ſ. M. F. bolus. D. S.

Eröffnungs-Zucker.

EMETICA multò minus locum habent, ne ſubruamus tenerioris texturæ corpus; neque ſine indicationibus fruſtrà violenta talia ſunt eligenda.

Poſt

Poſt purgantia præcipuum momentum curationis conſiſtit in ALTERANTIBUS. Convenient præprimis diluentia ſeu attemperantia, &, quæ ſerum, calore nimis abſumptum reſtaurant, ejusque difflationem inhibent, humorumque acrimoniam temperant; cùm juxta *Williſ. de ferm. cap. 11.* cauſa haud poſtrema emaciationis ſit defectus humidi; ſi enim aqua deficit, principia activa nimis arctè coëunt, ſeſe mutuò atterunt, & conſumunt, atque hâc ratione ſupplementum partibus corporis reſcinditur, corpusque totum emarceſcit. Humectandum itaque, quô elementa hæc ab invicem elongentur, ſ. diſſocientur. Hanc in rem ex uſu erunt ſeqq.

℞. *Rad. acetoſ.*
Cichor.
Scorzon. an ℥j.
Hord. mund. miß.
fl. bugloſſ.
borag.
violar. aa p. iij.
Sandal. rubr. flav. aa ʒij.
Sem. fœnic.
aniſ. aa ʒj.

Coque in *ſ. q. Ser. lact. ſimpl.* vel *deſtill.* ad crepaturam hordei. Colatur. add. *ſirup. violar.*
rob. paſſul. min. aa ʒß.
∽ ⊕li *q. ſ.* ad grat. acid.

D. S. Gerſtentränckl. zum öfftern gebrauch.

℞. *Rad. cichor.*
tarax.
lactuc. aa. ℥j.
fol. endiv.
lactuc.
plantag. aa. mj.

fl. roſar.
violar.
nymph.
cichor.
epat. nob. aa. p. i.
Sem. 4. frig. maj. aa. ℥i.
Coque in *ſ. q.* ▽ *Font.* Colat. ℞. ℔. j. in quâ diſſolv.
Sirup. d. ſucc. limon.
citr. aa. ℥ß.
Corallior. rubr. ℥j. M. D. S.
Kühl und Stärcktränckl. ein Weingläßgen voll uf j. mal.
℞. ▽ *Capon.*
limac. ad ℥*iv.*
ſangvin. ſymphyt. ʒiij.
R *Corall.* ʒj.
Sirup. d. Symph. Fernel.
Iujub. aa. ʒß. M. D.
in fictili S. Stärckendträncklein/ Löffelweiß nach belieben zugebrauchen.
℞. ▽ *borag.*
bugloſſ.
ror. ſolis.
pulmon. vit. c. ſucc. herbb. aa. ℥j.
analept. Minderer. ℥ß.
Cinam. ʒij.
R *bugloſſ.*
violar. c. ſer. caprin. & phlegm. 🜔*l. aa.* ℥ß.
Sirup. acetoſ. citr.
rob. paſſular. min. aa. ℥j.
Spec. diamargar. frig.
diatragac. aa. ʒj. M. D.
S. Kühltranck / wohl umbzurütteln 2. Löffel voll auf einmahl.
℞. *Antihect. Poter.*
magiſt. perlar. aa. ℈j.
Pulv. anod. confort. ℈ß. M. D.
S. Abendpulver auf 3. mal mit friſchem Bier zunehmen.

℞. 🜍*ris*

℞. *♀ris ♄nii fixat.* ℈i.
magiſt. perlar. ℈ij.
antihect. Poter. ʒß. M. D. S.
pro 4. doſibus in hauſtu conveniente.

℞. *pulv analept. Minder.* ℥j.
eboris ſ. △.
oſſ. d. Cord. C.
corall. rubr.
margarit. ppt. a. ʒß.
ſacch. perlat. ℈ʒj.
fol. ☉. *no. j.* M. D. S. Alterirpulver.

Doſis quantum cuſpis cultelli capit, ſingulô mane & circa veſperam cum juſculô.

Ubivis verò cavendum eſt, ne medicamenta corpus ægræ aliàs ſiccum magis exſiccent, unde componenda & miſcenda ſunt cum humectantibus, modò in juſculis alterantibus, modò in julapiis ſuperius præſcriptis.

℞. *Conſerv. roſar.*
violar.
borag.
bugloſſ. aa. ℥ß.
Spec. diamarg. frig. ʒj.
Antihect. Poter. aa. ʒß.
Sirup. jujubin. q. ſ. M. F. l. a. Elect. D.
S. Stärck-Latwerge wieder das Abnehmen.

℞. *Elect. reſumptiv.* ℥ij.
pulv. haly contra Phthiſ. rec. diſpenſ. ʒiß.
antihect. Poter.
Spec. diamarg. frig. an. ʒß.
Sir. d. ſymph. Fernel. q. ſ. M. D. S. ut ſuprà.

Emulſiones etiam ob gratum ſaporem, ſimilemque cum chylo formam ad humectandum & refrigerandum cum additione præparatorum præſcribi poſſunt.

℞. *Amygd. d. ambroſ. excort.* ℥j.
Nucl. pin. ʒvj.
piſtac. rec. ʒiij.
Sem. 4. frig. maj. aa ʒſ. F. c. ſ. q. ▽ *ror. majal. deſtill. endiv. lactuc. limac.*
F. l. a Emulſ. Add. *Antihect. Poter.* ʒi. Edulc. *ſacch. perlat. q. ſ.*
D. in fictili. S. Kühl und Stärckmilch.

R̄a. *Antiphthiſica Grammanni*, quia ſerum refrenat, lenique adſtrictione difflationem ejusdem per ſudorem inhibet, in hoc adfectu egregiè prodeſt, cui in totâ re medicâ vix par aut ſimile poteſt inveniri; cogit enim, concentrat, & conſtringit ſangvinem nimis rarefactum, mobilem efferatumque.

℞. R̄. Antiphthiſ. Gramm. ʒ*iß*. D. S. Anhaltende R̄. wieder den Schweiß 15. biß 20. tropfen auf 1. mal in ▽ portulac. l. cereviſia frigidâ.

℞. R̄. ♀ris ⊖l. ʒij. D. S. ut ſuprà.

℞. R̄. *Violar.*
roſar. rubr. a. ʒ*ij.*
∽ ⊖*l. ſtriat. q. ſ. ad grat. acidit.*
D. S. kühl tinctur ins Bier.

Externè optimum arcanum curandi hecticam latet in inunctione dorſi, ob vicina vaſa majora frigefacientibus, poroſque leniter conſtringentibus. Hinc eleganter Excell. DN. D. WEDEL. in tract. d. med. facult. p. 34. ſcribit: In hectica conſultò in praxi præſcribi olea frigida pro inunctione dorſi; empl. it. d. ſperm. ranar. ex Petri Aponenſ. conſilio, & alia, ut nempè difflatio humorum, etiam utilium, & atrophia corporis impediatur.

℞. *Ungv. reſumptiv. uſit.* ℥*j.*
refrig. Gal.
roſat. Meſ. a. ℥ß.
Sach. ♄*ni* ℈*j.* M. D. in pyxid.
S. Kühl Sälbl. das Rückrad damit zu ſchmieren.

℞. *Ungv.*

℞. *Ungv. reſumtiv.* ℥j.
ol. amygd. d. ℥ß.
pingved. hum, ʒvj. M. D.
S. Rückenſalbe.

Ad calorem ſudoremque repellendum prodeſſe poſſunt *Sacculi cordiales.* e. g.

℞. *fl. roſar.*
nymph.
violar. aa. p.ij.
Spec. diamarg. frig.
Cortic. citr. rec. ʒij.
gran. cherm. ʒj.
Camph. gr. iij.
Croc. or. ℈iß. M. excipe duobus ſacculis ſericis. D.

S. Herz- und Puls-Säcklein / imbuendi ſequenti liquore per vices crebriores:

℞. ▽ *cord. Sax. frig.*
roſar.
pulegii, 🜊 *roſac. ã* ℥ß.

Inter remedia etiam externa *balnea aquæ dulcis* non minorem locant operam ob inſignes alterandi & humectandi virtutes. Poteſt fieri ex aqua ſimplici, quæ & frigida eſt & humida parteſque relaxando ſolatur; majorem verò acquirit vim humectandi, ſi illi incoquantur herbæ emollientes, ut *violar. malv. branc. urſin. fol. ſalic. tiliæ, lactuc. &c.*

℞. *Rad. ſymph.* ℥ij.
nymph. bis malv. ã. ℥j.
fol. endiv. lactuc.
violar.
malv. ſalic. ã. mvj.
fl. roſar. bugloſſ. ã. mj.
ocul. popul. m.iij.
Sem. lin. ℔ß.

rapar. exſic. mj.*c ncil. contuſ. groſſ.* M. D. in thecâ.
S. Spec. zum Bade.

Affundi his etiam poſſunt aliquot menſuræ *lactis bubuli.*

DIÆTA ut in omnibus chronicis adfectibus multùm valet, ita in hoc plus ferè præſtat, quàm medicamenta. Exacta præſcribenda, quæ totius corporis refrigerationem, & humectationem promoveat.

In naturali victûs ratio eſt habenda, quæ cibum concernit ac potum. Hic enim non tàm præſentem partium ſolidarum ac carnoſarum habitum conſervandi; verùm etiam eundem ac vires reficiendi virtute debet eſſe præditus.

Cibi ſint εὔχυμοι & εὔπεπτοι, facilis digeſtionis ac concoctionis, refrigerantes paululùm & humectantes citòque nutrientes. Vitentur calida nimis & exſiccantia, aromatibus ſaleque condita, quæ, referente hiſtoriâ, ægram noſtram in hoc præcipitârunt malum.

Exulent quoque *piſces,* etiamſi ſint frigidi & humidi, ob difficiliorem tamen concoctionem facilè putreſcibiles. Si verò avidè deſiderentur, eligendi ſunt ſaxatiles, quales ſunt *lucii, percæ, truttæ* &c. & qui tenerâ carne ſunt præditi, in aquis puris natantes.

Lac ſive ſit *humanum,* ſi haberi poteſt; ſive *aſininum, caprinum & vaccinum* propter nutriendi, leviter refrigerandi & inſignem humectandi facultatem ſummoperè laudatur à *Gal. 4. de ſimpl. medicam. facult. cap. 17.* Lac enim teſte prælaudato *DN. D. Wedel.* hoc habet peculiare, quòd non ſolùm aquoſas, ſed & oleoſas in ſe habeat particulas, unde diluit ſangvinem nimis acrem ejusque acrimoniam obtundit. Solent Practici ab unciis aſcendere ad ℔j. ſin-

℔j. ſingulo mane. Videatur hunc in finem *Tackius in tripl. phaſ. ſoph. &c.*

Potus ſit moderatè refrigerans & tenuioris ſubſtantiæ. Prodeſt ſerum caprinum cum aliquot guttulis phlegmatis ⊕li. Vitetur vinum nimis calidum; Si verò ventriculus admodum infirmus fuerit, vinum aquoſum & valdè dilutum eſt concedendum, quod coctionem juvat ac diſtributionem promovet.

In *vitali Aer calidus & ſiccus* maximè vitandus, quidpe qui ægram in pejus præcipitare poteſt. Prodeſt contrà humidus & ad frigiditatem inclinans, ſi non naturâ talis, arte parandus, nimirum adſperſione aquarum tùm cordialium frigidarum, tùm quoque ſimplici vel herbarum atque frondium hinc inde conjectione.

In *animali* offendimus *motum* & *quietem*: ille, quia calefacit corpus, magiſque exſiccat, ſi nimius, vitandus, ne intemperies augeatur. Hæc moderata ſit.

Caveat ſibi ægra quoque à *vigiliis*, quia & iſtæ corpus ſiccum adhuc magis exſiccant.

Alvus fungatur ſuô officiô; ſi ſegnior, leviter ſtimulantibus ac laxantibus irritanda; Si verò juſtò laxior, opiatis & moderatè adſtringentibus ſedanda.

Cunctaque *animi pathemata* ſummoperè vitanda, qualia præprimis ira, quatenus humores ac ſpiritus cum impetu ad extra commovet; item mœror ac triſtitia, quatenus intrò cogit. Quæ, uti loqvuntur obſervationes, hecticam poſſunt generare. De quibus etiam frequentiſſimè id aſſerit *Galenus* tùm aliàs, tum *libr. de febr. differ.* Atque ex inſigni animi mœrore Topiarium quendam, habitu corporis aliàs gracilioris hecticum eſſe factum, recenſet *Foreſt. Lib. IV. de febr. obſ. 2.*

Mar-

MArcorem exſuccum vegetis defendere plantis
concesſum eſt, remoras ſi dextrè dempſeris ejus,
ſi nutrimentum pluvium modereris & æſtum,
ſi cariem tollas, ſi cum putrilagine morbum.
Tu doctis chartis dum profligare maraſmum
aggrederis corpusque ſuo mactare vigore,
Te ſtudiis Phœbi nutritum oſtendis abundè.
Ergò Tibi meritus titulus confertur honoris,
quem laus, quem decus & praxis cumulata ſequentur.

Clariſſimo Dn. Doctorando ex merito collatos honores ex animo gratulor, & glorioſos ſucceſſus in arte medicâ apprecor

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

ARdentis ſignum ſtudiis hæc HECTICA cordis.
Pergas: & calor hic HECTICA MORTIS erit.

Ita

Nobiliſſ. atqve Experientisſimi Dn. FRANZII, Convictoris & Inqvilini honoratisſimi, diſputationi Inaugurali gratulatur, ſimulqve fortunatos πράξεως *ſuccesſus porrò precatur* αὐτοσχεδιάζων

Caſpar Poſner, Natural. Prof. Publ.

SOLI DEO GLORIA.